

lescentiam.” Statim in memoriam revocabat illud sapientiae “Senectus venerabilis est non diuturna neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.” Deniquè ante oculos suos versabantur exempla divina, in primis, boni pueri Samuelis, qui loquenti Deo promptus aderat auditor dicens: “Loquere Domine quia audit servus tuus,” ac si diceret. “Paratus sum, et non sunt turbatus, ut custodiam mandata tua;” secundo, boni Jeremiæ, qui quamvis sese excusarat pueritia, nihilominus constitutus fuit super gentes et super regna: postremò, boni Danielis, cujus spiritum suscitavit Deus, ut convinceret iniqua judicia, et sanguinem innoxium liberaret.

Quid de integritate, firmitate, ac perspicacitate dicam? quantum ei prudentiæ et acuminis ad videnda ea, quæ vera et recta sunt; quantum animi et libertatis ad ea proferenda; quantum auctoritatis ad sustinenda semper fuit!

Nihil unquam ille in dicenda sententia sua aut metui, aut gratiæ dedit; numquam ad cuiusdam, necdum principis voluntatem, orationem suam accommodavit; nunquam aliquid veritate prius, aut antiquius habuit. Itaque vulgo dicebatur, nihil ab eo precibus peti oportere: preces enim apud eum neque ad justa obtinenda necessaria, neque ad injusta extorquenda efficaces.

De paupertate sua, atque humilitate quid loquar? semper pauper et humilis fuit. Semper avertit a se quidquid luxus et ostentationis erat: in cultu exteriori simplicitatem, incessu non ficto sed naturali gravitatem, in vultu egregiam humanitatem, magnamque affabilitatem præseferbat. Semper habebat enim in mente illud Ecclesiastici “Amictus corporis, et risus dentium, et gressus hominis enuntiant de illo.” Licet episcopali solio sedentem ipsum, ut alte-

rum Salomonem vidistis, nunquam desiit ille dies antiquos cogitare, et annos æternos in mente habere, atque ideo semper ante oculos sibi proponere solebat: “Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.” Hinc effecta est illa omnium admiratio qua omnes Antistitem sine pompa, sine luxu, sine apparatu, sine cohorte episcopali, magis atque magis venerandum esse, profitebantur. Insculpta in corde suo videbatur doctrina Divi Bernardi de moribus et officio episcoporum, præcipue ea verba “Honorificabitis non cultu vestium, non equorum fastu, . . . sed ornatis moribus, studiis, spiritualibus, operibus bonis.” Sciebat etiam sine humilitate nullas esse virtutes, quoniam “humilibus Deus dat gratiam.” Hæc virtus alias virtutes accipit, acceptas servat, servatas consummat, et consummatas defendit: nam inimicam omnis gratiæ, omnisque initium peccati debellat superbiam, et tam a se, quam a cæteris virtutibus teterrimam illius propulsat tyrannidem.

Quid de patientia, quæ perficit omnia? Duo sunt quæ cum ad extremum vitæ ventum est, etiam spectatæ virtutis viros de gradu deficere interdum solent: nimirum doloris acerbitas, et mortis metus. Sunt autem qui quandiu a se mortis periculum abesse confidunt, dolorem satis forti animo ferunt; et sunt qui dum gravi et diuturno dolore cruciantur, imminentem mortis necessitatem satis æquo animo expectant. Qui autem utrumque præstet, ut neque doloris acerbitate ac diuturnitate frangatur, neque adventantis, atque imminentis mortis metu terreatur, ei pectus incredibili quadam fortitudine armatum esse ac munitum necesse est. Quæ laus si cuiquam meritò tributa est, huic certe omnium confessione est tribuenda. Qui cum tribus integris annis, et quatuor itidem mensibus tanta vi doloris oppressus fuit, quanta in fortem virum cadere

potest; nunquam tamen ullam vocem parum a se dignam emissit; sed illud in ore frequentissime habebat: "Domine adde dolorem, dum addas et patientiam." Præcamini Deum, aiebat aliquando circumstantibus, me non desperantem esse vi doloris; nullo modo vos rogo me ad sanitatem restitui, sed patientiam maxime augeri; petite ut accipiam. Mortem autem sibi ab ipso morbi principio certam atque exploratam ita non exhorruit, ut de ea sine ulla prorsus aut vultus, aut animi perturbatione loqueretur: planeque ostenderet eam a se, ut D. Paulus in lucro poni. Ac ne cui dubium sit præscivisse eum, ex illo morbo morituro fore, duas apertas atque illustres hujus rei significationes dedit. Unam quæ sita est in meta litteræ pastoralis de immaculata conceptione Virginis Mariæ, cui lucubrationi ultimam dedit manum die vigesima secunda Februarii hujus anni, id est quadragesimo primo ante ipsius obitum die. Alteram quod cum ob quamdam morbi levationem, depulsum ab eo esse mortis periculum, constans Medici opinio esset; nihilominus sacrosanctam Eucharistiam sibi afferri per modum Viatici jussit instanter, ut pote ad aliam vitam proximè commigraturum certe præsentens. ¶ Utinam auditores præsagium eventus fefellisset! Sed in consiliis Dei statutum erat Ecclesiam Mechoacanensem pridie idus Aprilis anni currentis orbandam esse viro suo, viro illo egregio sacra ei desponsatione divinitus copulato, qui cladem diuturnæ retro viduitatis et mæstitiam dulci præsentia sua abstulit, qui quatuor circiter lustris eximia pietate et charitate confovens dilectam suam quamplures pro patribus filios lætitia spiritali in C. J. D. N. generavit. ¶ O infandam desolationem! ¶ O excidium maxime dolendum! ¶ O rem miserandam lacrymisque perennibus prosequendam! Merito cor morsibus æstuat doloris acribus,

merito Ecclesia diro transfixa dolore, facie lacrymis suffusa, singultibus exprimit voce interrupta mæstissimam viduitatem, et ex viri sui morte in magnum luctum incidit, jacet in maximo mœrore, videns quod non sit qui consoletur eam. Jure optimo etiam nunc gementes sedent Domini sacerdotes et virgines sacræ, Proceres civitatis, Municipium, omnesque civium Ordines, populusque universus; quoniam vere Joannes omnium Pater tenerimus fuit, humilis, amabilis, mansuetus et pius. Illius mortem secuta est tanta cunctorum afflictio, tantaque consternatio, ut omnium desiderium vix longo tempore et sæcundis rebus mitigari posse videatur. Nos quidem in miserabilibus Reipublicæ et Ecclesiæ temporibus, optimo et præstantissimo principe orbatum sumus: ille autem, ut confidimus, e tenebris ac vinculis corporis in lucem libertatemque transegit, et promissam piis omnibus possidet hæreditatem; ita ut mors ipsius, si sortem nostram respicimus, luctu et lamentationibus: sin vero illius, gaudio et gratulationibus persequenda sit.

Audivistis vitam, vidistis mortem clarissimi Joannis Cajetani; illam integram apud homines, istam pretiosam, ut pie credimus, in conspectu Domini. ¶ Ubi documenta sunt? ¶ Ubi testimonia publica? ¶ Ubi æterna monumenta? Interrogate, quæso, viciniam loci quo in lucem editus, et respondebit, puerum Joannem natura factum esse ad honestatem, naturamque ipsam ad virtutem illum peperisse. Iterum interrogate. Quid dicunt? Joannem adolescentia sua non in ludis, sed in angelorum ministerio occupatum, assiduum esse in sacerdotibus assistendis, dum ad sacras Aras tremendum sacrificium celebrarent. Dirigite vocem vestram ad habitatores civitatis Guadalaxariensis: audite responsum, juvenem Joannem nunquam sæculi vitiis indulisse, inoffen-

so pede, supernæ gratiæ lumine juventutis curriculum transegisse. Rursum percontamini, et intenti auscultate: virum Joannem nunquam incidisse in errores fidei, aut opiniones contra fidem aut ejus puritatem. ;Quid amplius? animi corporisque dotes omnigenos, cum moralis, et politicæ splendore optime illum ad sacerdotale munus divinitus vocatum, verbique ministerio sublimiori dicasse. Tali vitæ sanctitate, tali in dicendo ardore, tantoque pro Dei gloria zelo in suis partibus exequendis se gessisse, ut homines impietate contaminatos ad veritatem, fœdissimis criminibus inquinatos ad honestatem; servitute Dæmonis miserimè subditos ad libertatem, a cupiditate rerum temporalium ad cœlestium bonorum amorem traduxisse doctissimis suis eloquiis divinam sapientiam spirantibus. Sic templa conclamant, ita asserunt coævi, ita fama per-lustratur ac pervagatur, ita generatio proxima et generatio ultima reportabit et juvenes a senioribus audient. Etiam atque etiam quærite a comitibus suis senatoribus. ;Quid respondent? Joannem patrem conscriptum fuisse, qui omnem rerum omnium, quæ ad mores hominum, quæ ad vitam, quæ ad virtutem, quæ ad Rempublicam, quæ ad Ecclesiam pertinebant, cognitionem et scientiam cum dicendi recte, fortiter eloquenterque ratione jungebat.

Credite auditores: Joannes dotibus oratoriis ita præditus, ut in omnibus suis coævis par illi nunquam inventus fuerit, nec dicendi copia, nec singulari, magnifico et amplo loquendi genere, nec in mirabili modulandi vocem arte, nec in motus corporis dirigendi forma, nec...Sed ;quo vado? Sciscitamini ex suis æmulis judicium. Cur vero testimonia exterorum requirimus? Vos omnes qui ad-estis, et omnes hujus almæ civitatis moradores, recordamini illam eloquentiam sedatam, dulcem, gravem, pla-

cidam, simplicem, et veterum oratorum, vel potius dicam, Patrum primævæ Ecclesiæ simillimam. Sustineamus hic tantulum moræ: ;quisquam nostrum aut alienorum aliquando fuit, qui concionibus Joannis mirabiliter prolatis non commoveretur, et eas, ut divinas non teneret et vocitaret? ;Quis fuit frigidus spectator ad audiendam vocem terribilium veritatum? ;quis non trepidatus, dum de morte, judicio, aut pœnis inferi loqueretur? ;Sed tantum civitas mirabilem præconem et quasi divinum auscultavit? Nequaquam: omnes populi hujus latissimæ Diœcesis, provinciæ dissitæ, longèque disjunctæ, maxima constantia *verbum evangelicum* claritate magna, simplicitateque mira e labiis suis didicerunt: et ita id frequentius ac perfectius faciebat, ut ministerio prædicationis solummodo dicatum esse videretur. ;Quid plura? Omnia tuetur, omnia servat, omnia in ordinem adducit, Ecclesiis suæ Diœcesis adest per se, ne turpiter aliorum fraude deciperetur, ministros consecrat, disciplinam universaque restaurat, vel nobis statutis vel antiquorum observantia. ;Quo modo hæc perficit omnia? Attendite fideles: indulgentia Pastoris, qui vim auctoritatis suavitate miscere scit: Patris prudentia, qui suum munus admodum adimplet sine dissimulatione criminis: æquitate judicis omnia æqualiter videntis, solaque ratione ducti: Pontificis constantia, qui paratus est pro salute populi sui Divinum Numen sacrificio vitæ placare: ferventi animarum zelo, qui nec commodum, nec requiem, nec cibum, nec potum desiderat, sed itinerum asperitatem superare, climatum varietates, molestiasque experiri, in montium cacumina ascendere, pluviarum imbribus madefieri, fluminum torrentes trajicere; eximio religionis studio, ardenti Dei amore, prudentia, mansuetudine, humilitate, paupertate, uno verbo, virtutibus omnibus,

quibus subditi recreabantur, et omnes fideles vel inimici status ecclesiastici, illum ingenti plausu, effusisque laudibus prosequabantur.

¡Quid plura? innumera supersunt adhuc, quibus recensendis, nec mea, nec alicujus oratio satis erit; et mea quidem non finem haberet, si tanti Præsulis singularum virtutum et magnalium gestorum, et egregiorum meritorum affatim vellem meminisse. Non autem tacere oportet posthumum ¡he! permagnum vero, et ante hunc diem inauditum honorem tam egregio Pastori sponte magnaue Ecclesiæ et reipublicæ nostræ jucunditate paratum ab inclito PIO IX propter eximiam ipsius de Joanne Cajetano mentem, non immerito quidem, verumtamen inenarrabili omnium miratione conceptam. Mechoacanensis Episcopus nunc coram universo catholico in sacro Romano Ecclesiæ Senatu primus Cardinalis mexicanus inclamatus apparere debuisset. Nunc eximius hic Antistes nobis jucundissime recensendus fuerat in parvo illo, sed selectissimo numero virorum sapientia, ingenio, ac virtute præditorum, ex quibus tam illustris Senatus coalescit: ex quibus et in quos excidunt, et communia suffragia incidunt supremum Ecclesiæ pastorem designantia; virorum inquam, Summi Pontificatus propter hierarchiam Ecclesiæ, limina tangentium; quod non nisi magnis, longisque laboribus apud externos solet obtineri; quod Reges ipsos Romanæ Purpuræ splendore pertentat, effundendi causa gloria eximii sacerdotii christiani quod nunquam perremotissimis mexicanæ Ecclesiæ incunabulis, omnibusque Americæ Regionibus usque nunc splendescere visum fuit. Illud, auditores, illud Ilme. Domine, illud Mechoacanensis regio, illud, ¡o vos omnes sanctæ catholicæ Ecclesiæ adiectissimi, illud, Pastores venerabiles nostrarum omnium Ecclesiarum, illud Religionis, Patriæ nostræ splendo-

ris, cupidissimi, illud ¡proh dolor! fideles et cives, jam paratum erat tempora nostri magni meritissimè cingere, ultimo lauro, vitam illam pretiosam inter tot ærumnas, tot labores, tot anhelitus, totque laudes et virtutes longe protractam, motu proprio regnantis nostri Pontificis gloriosissime coronare. ¡Hoc jam fama patria pervagatum corda nostra mira quadam anxietate, desiderio æstuque tangebat! ¡Ut omnes lentissimum temporis cursum impatientia nostra sentiebamus! ¡Ut tanti honoris certiores factos esse indesinenter curabamus! ¡Jam prope lux aderat qua Episcopum nostrum novo almoque splendore indutum, Ecclesiæ et Patriæ conspicere et salutare, festinanter adesse videbantur! ¡Jam!... Sed.... ¡O mors, gloriæ, nostræque felicitati infensissima! Illi, nobisque, inimica, invidaque adstitisti; stamina vitæ novæ merentis crudeliter secasti; Ecclesiæ, Patriæque nostræ gaudium arripuisti, spem misere in tumulum projecisti! Tu.... ¡sed quorsum pergo.... hisce vacuis cogitationibus humanæ gloriæ....? ¡Quorsum ego.... his lulis imaginibus?... ¡Quorsum ego?... ¡Vanitas vanitatum et omnia vanitas! ¡Quid illi profuisset totum orbem humanæ gloriæ irradiationibus implere, si non plus mortalibus, ultra tumulum, nisi virtutibus, fas est penetrare? Pretiosa in conspectu Domini mors justissime agnoscitur et conclamatur, non regum profecto, non magnatorum principum, non hujus mundi sapientum, non clarissima sæculi misera, lugentique celebritate insignitorum, non Ducum perillustrium historia laudatorum, qui triumphis ornatu gentes ditioni suæ quam latissimæ sumissas habere sunt consecuti, non Cardinalium certe, immo Summum Pontificatum exercentium: ¡quorum igitur pretiosa mors? Arrectis auribus adeste, Christiani auditores, divinis ipsis Æternæ Sapientia oraculis. „*Pretiosa in conspec-*

tu Domini mors sanctorum ejus En quod unice cordi nostro conturbato quid solatii præstat: en suavissimum religionis levamen, quod dolori intenso et angori summo nos cogere debet, si non finem jam, saltem modum imponere. Ille, credite, de terra, ad cælum advolasse, eximiis virtutibus lucidissimè indutum, Ecclesiæ laudibus cumulatam, et omnium benedictionibus adauctum. Ille regnat in cælis beatissimam æternitatem arripiens, quiescit nunc et sine fine gaudebit....

¡Quis vero, Æquissime Pater, apud quem non est acceptatio personarum, nec distinctio inter servum et liberum, quis est consiliarius vester? Præclarissimus Joannes, Status et Ecclesiæ columna fortissima. integrum virtutis exemplar, scelerisque purum, Patriæ amabilis et augustæ Religionis propugnaculum, juventutis lætitia, virilitatis honorificentia, senectutis gloria, inter æternitatis umbras occubuit.... ¡Fuit autem, Mitissime Deus, amore.... an odio dignus? Si ex factis tam magnis, tam egregiis, tamque illustribus nobis sortem ejus præsumere licet; piè credimus cursum feliciter consumasse, bonum certamen certasse, fidemque servasse; ideoque de sede episcopali ad sedem cælestem, de mitra ad coronam, de vinculis ad libertatem, de labore ad requiem, de periculo ad securitatem, de miserrima vita, si vita hæc peritura dicenda, ad vitam inamissibilem inter beatorum cætus volasse. Sed si charissimo Antistiti nostro aliquid pœnarum luendum supersit, ¡Deus, Pater misericordiarum! pronus ad miserationem esto; ¡Pater totius consolationis, exhibe Præsuli nostro consolationem; vide plorantes, exaudi gemitus Ecclesiæ sponsæ, solatium præbe, et absterge lacrymas quæ sunt adhuc in maxillis ejus. Tu qui maculas intersplendidissima scintillantia et emicantia cælorum astra,

et inter ipsas justitias invenis, ne respicias Joannem.... sed respice cruentissimam hostiam illam, quæ olim in Golgotha oblata, suo sanguine omnia peccata delevit, et universum mundum redemit. Fac per tuam piissimam misericordiam, ut mitigatis Joannis ardoribus, ad æterna gaudia ipsius anima perducatur, et in sinu pacis ille pace requiescat. AMEN.